



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

94. An Guardiani, Priores, Præpositi, & Rectores Regulariu[m] possint illis  
præbere licentiam, ut eligant confessarium extra Religionem? Et quid in  
nostra Religione? Et notatur, quod quando Regulares ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76429](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76429)

Et dato, sed non concessio, quod contraria opinio est probabilis, displicet mihi id, quod asserit dicitur Peregrinus, nempe esse sequendam tanquam tutiorem, & quod in administrandis, & recipiendis Sacramentis necessarius ad salutem semper tutiores opiniones amplecti debeamus; quia obligatio charitatis, qua tenemur providere proximo de remedio, postulat, ut illa provideamus remedia, quae sunt absque periculo, quando possumus id absque detrimento; ergo qui minus tutam opinionem amplecteretur, non satisfaceret huic obligationi. Præterea sic est uniuersalis usus Ecclesiae. Ita Peregrinus.

5. Sed si hæc doctrina esset vera ita absolute prolata, mundus scrupulis implicaretur, & vae vae Confessariis, & penitentibus non est igitur admittenda in casu nostro. Nam quando sunt opiniones probabiles circa jurisdictionem Sacerdotis ad confessiones audiendas, potest Sacramentum ministrari secundum opinionem probabilem, relicta probabiliori: scilicet autem si opiniones versarentur circa materiam, & formam Sacramenti, nam tunc tutior opinio est sequenda, & in hoc casu loquuntur Doctores, quos citat peregrinus. Et ratio nostrae sententiae est, quia probabilis opinio confert Sacerdoti jurisdictionem, & sic nulli periculo penitens exponitur. Unde cessat ratio Peregrini. Adde quod semper penitens se accusat de aliquo veniali, & cum simplex Sacerdos super venialia iurisdictionem habeat, absolvens propter opinionem probabilem semper gratiam casualitatis, & sic penitenti nulla irrogabitur iniuria. Et ita hanc nostram sententiam tenet Granado in 1. 2. D. Thom. controuers. 12. tractat. 12. d. disput. 4. sect. 4. numero 38. Suarez tom. 4. disput. 26. sect. 6. numero 7. & 8. Martinez in 1. 2. D. Thom. tom. 1. quest. 19. artic. 6. dub. 6. conclus. 7. Malderus in 1. 2. D. Thom. quest. 19. artic. 5. disput. 867. Salas de legibus disput. 12. sect. 6. numero 24. Valquez in 1. 2. tom. 1. disp. 156. num. 27. Henriquez lib. 2. de penit. cap. 14. n. 3. & 4. Sanchez de matrim. tom. 1. lib. 3. disp. 22. n. 65. & alij. Quidquid in contrarium asserat Nugnus in 3. p. tom. 2. q. 8. art. 5. dub. 3.

6. Vnde non grauabor hic apponere verba Henrici Villalobos in summ. tom. 1. tract. 1. diff. 13. numero 5. sic asserens. [Hæc de advertit aqui grandamente, que si de hecho de verdad falta la materia, & forma del Sacramento, aunque aya opinion, que diga, que lo es, la que se pone, no se haze Sacramentum, & aunque todos los Doctores dixessen lo contrario; porque las materias, y formas de los Sacramentos son de derecho diuino, y no se pueden supplit por derecho humano, ni por opinion de Doctores, mas quando ay diuersas opiniones en cosa, que toca a jurisdiccion. v. g. como si se duda, si vn Clerigo puede assitir validamente al Sacramento del matrimonio, & no, & en el Sacramento de la penitencia se duda, si fue legitima la licencia que le dio tal Sacerdote, & si el privilegio de la Bula esta reuocado en todos los casos dichos, & otros semejantes, que tocan a jurisdiccion, aunque de verdad la opinion, que dize, que no es legitimo ministro. sea verdadera, delante de Dios con todo esto, mientras la tal verdad esta escondida, y ay probable opinion de lo contrario, lo que el ministro en estos casos haze, es valido por razon del comun error, y el titulo presumpcto, que tiene de legitimo superior, y el defecto de la tal jurisdiccion, & licencia le puede supplit, y suple el derecho humano.] Ita Villalobos, & ante illum præter Doctores citatos, Lessius lib. 2. cap. 29. in dub. 8. numero 68. sic asserens. Non solùm error communis, sed etiam probabilis Doctorum opinio efficit, ut Ecclesia det jurisdictionem, etiam si opi-

nio illa sit falsa. Vt si probabile sit talem posse absolvere a reseruatis, vel censuris, vel assistere matrimonio, excommunicare, eligere Confessorem, privilegium non esse reuocatum, & similia, & ille ex hac opinione operetur, validum erit, Ecclesia supplente defectum, si forte subbit. Sic Lessius. Ad vsum verò uniuersalem Ecclesiae, quem Peregrinus adducit, nescio quomodo possit illum probare, imò contrarium apparet ex communi DD. sententia, ut supra vilum est, & confessarij passim absolunt cum opinione probabili, etiam in casu in quo agitur de eorum jurisdictione.

7. Notandum est etiam hic obiter ex dictis, posse Præpositos nostrae Religionis dare licentiam, ut Sacerdotes simplices audiant aliquando confessiones Fratrum, quidquid in contrarium videatur sentire Peregrinus in compend. Privilieg. ver. absolutio quoad fratres, §. 2. in scholio, & ita aduersus dictam Peregrinum docet Leone in tractat. de offic. & potest. Confessar. tom. 2. recollect. 6. num. 97.

RESOL. XCIII.

An Vicarij Superiorum localium, & præsertim nostrae Religionis possint eligere Confessarium, etiam præsentem Superiore, extra Religionem? Ex p. 6. tract. 8. & Misc. 3. Ref. 15.

§. 1. Gaudere solùm in absentia Superioris privilegio cap. finalis de Penitent. tradidit cum aliquibus Doctoribus in part. 3. tractat. 2. resolut. 1. Sed notissimè nominatim contra me affirmatiuam sententiam docet Pasqualigo decis. 103. num. 2. quia præsentem Superiore, sunt etiam ipsi verè Superiores.

Quæ hic est sup. Ref. 90. in eius §. vii.

2. Secundò quia subrogatus in locum alterius fruitur iisdem privilegijs, quibus ipsi.

3. Sed his non obstantibus, ego iterum negatiuè sententiæ adhaereo, & argumenta Pasqualigi procedunt absente Superiore; & quidem non video, quomodo potest admitti, quòd præsentem Superiore in nostra Religione Vicarius dicatur Prælati exemptus. Et ut verum fatear non parùm liberales sumus cum nostris Vicarijs, concedendo tantùm contra Pasqualigum auctoritatem eligendi Confessarium, absente Præposito, Nam Bordonus in Consilijs Regularium, resolut. 34. num. 30. docet dictos Vicarios, neque absente Superiore posse Confessarium eligere, & ad argumentum adductum à Pasqualigo, quòd subrogatus in locum alterius gaudet privilegijs subrogantis, responderet, illud axioma habere locum quando quis propriè subrogatur in locum non existens, & ita etiam in terminis casus nostri exponit hoc axioma Syluester Casuistarum Princeps, ver. Confessor. 1. num. 8. & contra sententiam Pasqualigi, præter Doctores à me vbi supra citatos, vide Faustum de Sacrament. Pænit. lib. 6. quest. 92. vbi docet Subpriorem licet alijs præferatur, præsentem priore non posse eligere sibi Confessarium. Vide Scropham in 99. Regul. quest. 33. num. 2.

RESOL. XCIV.

An Guardiani, Priores, Præpositi, & Rectors Regularium possint illis præbere licentiam, ut eligant Confessorem extra Religionem?

Et notatur, quòd quando Regularis ex licentia, vel privilegio consentitur extra Religionem, non tenetur eligere confessarium ab Episcopo approbatum, sed suffi-

esse eligere idoneum, hoc est non suspensum, vel excommunicatum.

Et deciditur, omnes Praelatos Conventuales Religiosorum habere iurisdictionem ordinariam in utroque foro, & proinde posse eam delegare. Ex part. 3. tit. 2. Refol. 2.

Sup. hoc in Ref. seq.

§. I. **A**ffirmative respondeo, seclusa constitutione Religionis, vel statuto in contrarium, & ratio est, quia qui habent ordinariam potestatem, possunt illam alteri delegare, ut habetur in c. qui us, de officio Ordinarij, & notat Sylvius in addit. ad 3. part. D. Thom. quest. 8. art. 5. Ioan. de la Cruz in direct. part. 2. de sacram. Pœnit. quest. 5. dub. 6. concl. 1. Barbosa in leg. cum prior. §. 1. numero 527. ff. de iudicijs, & alij communiter. Sed Guardiani, Præpositi, &c. habent potestatem ordinariam, & sunt suorum subditorum Ordinarij, ut notat Suarez de Releg. tom. 4. lib. 10. cap. 5. num. 3. Filliucius tom. 1. tract. 7. cap. 7. numero 183. Ledelma in summ. tom. 1. de Sacrament. cap. 38. quest. 7. numero 3. & alij communiter. Ergo possunt hanc potestatem alijs subdelegare, & idem Villalobos in summ. tom. 1. tract. 9. diff. 49. numero 11. sic asserit. [ Los Guardianos, y Prelados semejantes como son Ordinarios, tambien pueden delegar su jurisdiccion, ] & citat Angles, R. driquez, & Cenedum quibus etiam ego addo Portel. in dubijs Regularium, ver. Prælatu num. 1. & 2. ubi ita ait, Guardiani possunt delegare, id est, committere alicui ut faciat omne illud, quod ipsi possunt facere ex officio ordinario, quia habent potestatem ordinariam, & in addit. vers. Prælati potestas, numero 2. sic etiam ait. Omnes Prælati conventuales Religiosorum habent Iurisdictionem ordinariam in utroque foro, ac proinde possunt illam delegare, quia habent iurisdictionem ex officio, seu ex lege Canonica, quæ Prælati ritè electis dat iurisdictionem competentem suo officio, & tandem Ioann. de la Cruz. de statu Religionis, lib. 1. cap. 6. dub. 8. docet, quod non tantum iurisdictione competens Prælati Regularium ex iure communi, vel particulari suarum legum est ordinaria, ac subinde delegabilis, sed etiam iurisdictione illis concessa ex privilegio Principis. Vide omnino Afcanium Tamburinum de iure Abbat. tom. 1. disp. 3. q. 2. n. 1. & Sa vers. delegatus, num. 2.

Sup. hoc in Ref. seq. à lin. 2.

2. Sed difficultas est in nostra Religione. Nam Peregrinus in comment. ad nostras const. part. 1. c. 9. lit. C. §. 2. negatiuam sententiam docet. Sic enim ait: Dubitari possit, vtrum præpositi locales possint licentiam tribuere vni ex nobis sibi subdito, ut confiteri possit Confessario extra Religionem nostram. Respondetur, quod non, absque necessitate; ratio est, quia Capitulum generale potuit hoc prohibere, & de facto prohibuit hoc decreto. Ita Peregrinus.

3. Verum ego contrarium sentio; nam verba decreti sunt hæc in part. 2. cap. 6. numero 2. Nemo nostrum sua peccata extero Sacerdoti confiteri queat, sed iis tantummodo nostratibus Confessarijs, qui à Præposito domus fuerint designati, non obstante quocunque privilegio, cui ex nunc totius Religionis nomine renunciamus, ac cedimus. Quæ quidem verba, vt clarè apparet, & nos in superiori resolutione firmavimus, loquuntur tantum de privilegijs, vt est Bulla Cruciate. vel aliud indultum eligendi quemcumque Confessarium in scio Superiore, & idem non debent, neque possunt extendi ad licentias, quas subditi obtinent à suis Prælati, quibus de iure communi ex cap. Omnis viri usque sexus, de pœnit. & remiss. tanquam ordinarijs competit, & possunt hanc

Quæ hic est sup. R. 90. ad me. §. 5. his igitur.

facultatem præbere, & hæc omnia in resolutione superiori satis firmata sunt. Igitur cum tale decretum loquatur expressè de privilegijs, non est extendendum ad iura Prælatorum, quorum mentionem non facit. Adde, quod de renunciatione huius privilegij, vt patet omnibus, nihil actum fuit in illo Capitulo generali, ex quo decretum supradictum emanauit, & cum esset res gravis, tollens circa hoc potestatem ordinariam Prælati, specificè effectum prohibiti, si Capitulum generale, tunc dictam potestatem tollere, aut limitare voluisset, sicut fecerunt constitutiones Prædicatum, in quibus nominatim Ioan. de la Cruz de statu Relig. lib. 1. cap. 6. dub. 1. habetur non posse Priorem concedere sibi subdito licentiam confitendi Sacerdoti alterius Ordinis, sed solum Magister Ordinis hoc potest concedere, quando non adest Confessor Ordinis. Per quod infra Ioan. de la Cruz, limitatur autoritas ordinaria Prælatorum, quod in nostra Religione per constitutionem, vel per aliquod decretum vsque adhuc minimè factum esse censleo.

4. At dicit aliquis Sixtum IV. Innocentium VII. Clementem VII. Leonem X. concessisse Regularibus, vt cum licentia suorum Prælatorum, tantum cum itinerantur, possint extra Religionem Confessarium eligere, quas Bullas asserit Ioan. de la Cruz supra, Villalobos in summ. tom. 1. tract. 9. diff. 49. num. 12. ergo si Prælati Regularium possint hanc licentiam subditis præbere, vt etiam extra Religionem constentur, ad quod deseruiunt privilegia illa Pontificum? Respondeo cum Llamas in meth. part. 1. cap. 5. §. 5. quod aliquando in privilegijs conceditur Regularibus minus quam quod de iure communi illis competit, & idem in calu nostro plus possunt subditi à Prælati Regularibus ex potestate ordinaria obtinere, quam quod in privilegijs Summi Pontifices concesserunt, qui tamen cum dictis privilegijs potestatem ordinariam Prælati Regularium tollere minimè intenderunt. Probatur totum hoc ex privilegijs quæ asserit Llamas ubi supra concedentibus Prælati Regularium eligere Confessorem cum licentia sui Generalis, non obstante, quod hoc competeat illis de iure, ex cap. fin. de pœnit. & remiss. vt supra probatum est, independentè à licentia Generalis, & tamen, vt patet, per dicta privilegia hoc ius illis non fuit ablatum, quin si vellent, sine Generali licentia Confessarium eligere possent. Sed dicendum est in calu nostro supradicta privilegia non tollere Prælati Regularium potestatem ordinariam, quin possint, si velint præbere licentiam subditis, non solum itinerantibus, sed etiam in Monasterio existentibus eligere seculares, vel Regularem Confessarium, & idem Miranda in Manuali Prælatorum, tom. 2. quest. 32. art. 6. conclus. 1. Villalobos in summ. tom. 1. tract. 9. diff. 49. num. 11. & 12. & alij adducunt supradicta privilegia Pontificum. Attamen non obstantibus dictis privilegijs, firmant potestatem Prælatos supradictam licentiam potestate ordinaria suis subditis præbere, quia proprias oues, aut Meranda ubi supra, cui voluerint pastori, & alios itinerantibus committere. Et idem ait Grassus in decis. part. 1. lib. 1. cap. 23. numero 54. quod Franciscanus de licentia sui Prælati, confiteri possit Augustiniano, & credendum est illi sine litteris, si dicitur habuisse licentiam. Nec refert quod possit Prælati indiscretè vt tali potestate; nam id est, per accidens, & quomodocumque id faciat, factam tenebit. Verum aduertant Prælati, hanc licentiam non præbere absque causa; nam si aliter facerent, non expediret. Confessionem tamen cum tali licentia factam, validam, & firmam esse puto.

5. Notandum est etiam hic obiter contra Peregrinum

# De Dubiis Regularium. Ref. XCV. &c. 71

grinum in Compend. Privileg. Absolutio quoad Prae-  
res. §. 2. in scholio, quod quando Regulares ex li-  
centia, vel privilegio consentunt extra ordinem, non  
tenentur eligere Confessarium ab Ordinario approba-  
tum, sed sufficit eligere idoneum, hoc est non suspen-  
sum, vel excommunicatum, &c. Ita Ioan. de la Cruz  
de statu Relig. lib. 2. cap. 6. dub. 1. 1. concl. 1. in fin.

## RESOL. XCV.

An Generales & Praelati Regularium possint licentiam  
præbere suis subditis, ut Confessario extra Religionem  
confiteantur? Ex p. 4. tr. 4. & Misc. Ref. 2.

§. 1. **P**osse, & hoc de iure communi omnibus  
patet: sed Peregrinus difficultatem ponit  
quoad Superiores nostræ Religionis stante decreto  
posito in superiori resolut. & novissimè in addit. q. 3.  
negativam sententiam docet.

2. Sed ego affirmativam sententiam docui in 3.  
part. tract. 2. resol. 2. quia ut supra visum est, Praelati  
non includuntur in supradicto Decreto, & in illo  
renunciatur privilegio, unde cum renunciatio sit  
stricti iuris, & idè strictissimè interpretanda, quem-  
admodum contra Peregrinum, præter Doctores ci-  
tatos, docet alter Peregrinus tractat. de fideicommissi.  
art. 52 num. 25. & Parisius de signat. benefic. lib. 1.  
quest. 18. num. 15. & seq. lib. 3. quest. 1. n. 8. & seq.  
sequitur sub nomine privilegij, non debere intelligi  
licentias, de quibus loquimur.

3. Nec obstat dicere cum Peregrino, quod ab-  
surdum esset, voluisse Capitulum Generale prohibere  
suis subditis, ut non confiteantur sua peccata ex-  
teris Sacerdotibus de licentia Summi Pontificis, &  
de licentia sui Praelati possent confiteri, & quod re-  
nunciassent privilegiis Summorum Pontificum, &  
non privilegiis suorum Praelatorum, non, inquam,  
obstat hoc dicere, quia Praelati in præbendis dictis  
licentiis considerant omnes circumstantias, & ma-  
ture perpendunt, si ob bonum subditi & Religionis  
liceat illis præbere; quod non accidit si subditi frue-  
rentur privilegio Summi Pontificis, v.g. Bullæ Cru-  
ciatæ: nam omnes independentes à Praelatis toties  
quoties possent illam sumere, & absolvi extra Re-  
ligionem à reservatis in detrimentum Regularis Ob-  
servantia; quod aperte non evenire in casu nostro  
dicendum est: nam subditi tunc poterunt confiteri  
extra Religionem, quando licentiam obtinebant ab  
eorum Praelatis, quia quidem obtenta non possunt  
absolutionem obtinere à reservatis, si non explicitè  
Superior hoc declarat, ut satis probavi in addit. ad  
3. part. resol. 4. ergo est dispar ratio inter utrumque  
casum, & per consequens cessat absurditas, quam  
bene non adducit Peregrinus: nam, ut dictum est,  
inconvenientia in detrimentum Religionis, quæ po-  
terant sequi ex libero usu privilegiorum Summorum  
Pontificum, non possunt sequi ex impetratione li-  
centiarum à Praelatis obtentorum, per rationes paulò  
superius adductas. Ergo, &c.

4. Vnde ex supradictis patet etiam responsio ad  
aliud argumentum Peregrini, nempe hoc decretum  
esse statutum à Capitulo generali, sed inferior non  
potest dispensare in lege sui Superioris. Ergo Praelati  
nostræ Religionis non possunt tales licentias tribue-  
re: nam respondeo Patres in dicto decreto, ut patet,  
renunciassent facultati confitendi extra Religionem  
virtute privilegiorum, sub quorum nomine, ut supra  
probatum est, non debent intelligi licentiæ obtentæ  
à Superioribus: ergo quando Praelati tribuunt dictas

licentias, non dispensant, ut vult Peregrinus, in lege  
suorum Superiorum, sed veniunt iure suo, quod Ca-  
pitulum generale in dicto decreto noluit illis auferre.  
Ad alias verò rationes, quas adducit Peregrinus fun-  
dadas in illis particulis, nemo, & quorumcumque Privi-  
legiorum, quas uniuersales esse asserit, respondeo ut in  
superiori resolutione, uniuersales quidem esse, sed  
circa ea quæ inclusa sunt in dicto decreto. Verum in  
dicto decreto non includuntur Praelati, neque sub  
nomine privilegiorum eorum licentiæ, ut visum, &  
probatum est: ergo dictas particulas aduersus nostram  
sententiam nihil operari dicendum est.

Quæ hic est  
suprà R. 91.

## RESOL. XCVI.

An Regulares possint confiteri, (seclusa prohibitione  
suorum Praelatorum, vel de eorum licentia,) cum  
Sacerdotibus secularibus non approbatis ab Ordina-  
rio, dum tamen sint idonei?

Et quid de Equitibus Dni Jacobi, Alcantaræ, Cala-  
travæ, &c.

Et an quando Regulares consententur Sacerdoti seculari  
vigore alienius Jubilei, an tunc talis Sacerdos de-  
beat esse ab Ordinario approbatus?

Et an Regulares, qui consententur vigore Jubilei, seu  
Bullæ Cruciatæ possint eligere Confessorem Regula-  
rem approbatum solum per eius Superiorem, quavis  
non obtinent approbationem per Episcopum?

Et advertitur, quod Regulares iter facientes de licentia  
sui Superioris secum portant virtutem licentiam  
eligendi Confessarium Sacerdotem Secularem, vel  
Regularem non approbatum ab Ordinario, &c.

Sed docetur, Regulares in itinere, etiamsi habeant ex-  
pressè licentiam confitendi cum quocumque Sacerdo-  
te, sub tali licentia non possunt obtinere absolutionem  
à reservatis. Ex p. 3. tr. addit. Ref. 4.

§. 1. **I**n part. 1. mearum resolut. moralium, tract. 2. Quæ hic est  
de immunit. Eccles. resolut. 49. adduxi opinio-  
nem amicissimi Ioan. Sancij, heu quondam nostri,  
viri quidem docti, in select. disput. 49. num. 11. ubi  
docet Equites D. Iacobi Alcantaræ, Calatravæ, &c.  
quia sunt verè Religiosi, posse confiteri cum Sacer-  
dote seculari non approbato ab Ordinario. Sed no-  
vissimè Ioannes Maria Novarius Iuriconsultus in tr.  
de elect. fori, cap. 69. num. 22. me citato, iudicat in  
meo Codice illa verba, cum Sacerdote seculari, fuisse  
posita ex impressorum incuria, quia alias falsa,  
& contra Concilij Tridentini mentem esset mea  
opinio.

2. Verùm supradicta verba non fuerunt impres-  
sa ex incuria Typographi, neque mea opinio est con-  
tra Concilium Tridentinum, quia supposita opinio-  
ne Sancij, quæ an sit probabilis, ut ego dixi part. 3.  
tract. 2. resol. 30. remitto me iudicio aliorum, Reli-  
giosi non tenentur confiteri Sacerdoti approbato ab  
Ordinario, si fortè ex licentia Praelatorum confitean-  
tur Sacerdoti seculari, quod contra communem  
Theologorum, & Casuistarum opinionem, tenet  
Novarius ubi supra.

3. Imò si sine licentia confiterentur Confessa-  
rio seculari, illa confessio esset nulla: non quia Con-  
fessarius carebat approbatione Ordinarij, sed quia  
ipsi carebant licentia confitendi. Dicendum igitur  
contra Novarium, Regulares, quando ritè confiten-  
tur cum Sacerdotibus secularibus, posse illos elige-  
re, qui etiam carent Episcopi approbatione. Nec ad-  
versus hanc sententiam facit Concilium Tridenti-  
num sess. 23. cap. 15. ut asserit Novarius; imò ex dicto  
loco

Quæ hic est  
infra R. 99.  
signanter in  
ei §. 1. & in  
aliis positus  
in annot. 12  
post seq.

Sup. hoc in  
Ref. nos. seq.